



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 53. Hæc lis a Legatis composita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI. ctiores Hispani prima noctis hora Lega-
A. C. 1563. tos adibant, affirmantes, quod huic di-
 spositioni acquiescere non possent, cum
 post Salmeronem Papæ Theologum ex
 prima classe quatuor Doctores Galli
 admitterentur, hacque ratione ad sta-
 bilendam Franciæ Regis prærogati-
 vam, quæ tamen in controversiam ad-
 duceretur, via sterneretur: porro quoad
 privilegium Parisiensi Academiæ con-
 cessum iidem respondebant, quod illud
 duntaxat intelligi possit respectu æqua-
 lium, non vero illorum, qui in gradu sunt
 antiquiores, cum hæc concessio perin-
 de accipi non possit, ut novellus Doctor
 Sorbonicus cuiquam Seniori ex aliis
 Academiis præferendus sit: ardentem
 igitur efflagitarunt Hispani, ut eodem
 modo, quo inter Patres suscepti
 Episcopatus ordo attenderetur, sic
 inter Theologos obtentæ Laureæ
 ratio fervaretur. Ceterum cum tar-
 dior noctis hora novam rei discussio-
 nem tunc non permetteret, necesse
 fuit, indictum postero mane cœtum re-
 vocare.

§. LIII.

Hæc lis a Legatis composita.

Ceterum Cardinalis Lotharingus, cu-
 jus animi celsitudo ejusmodi cavil-
 lationibus intendere respuebat, haud
 gra-

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

gravate Hispanorum postulatis con-
fensit, ea tamen conditione, ut eadem
lex Pontificios etiam Theologos com-
plecteretur: id quodammodo indulse-
runt Legati, duntaxat postulantes, ut
in primo conventu permetteretur lo-
qui is, qui jam ad dicendum paratus
erat, in quo simul dignitas Pontificio-
rum, quippe primo dicentium, serva-
batur: postea peroraret secundo loco
Sorbonicus, & tertio Hispanus, ceteri
vero antiquitatis ordine verba facerent.
Annuit Cardinalis, hinc Legati pru-
denter curabant, ut Gallus esset anti-
quioris gradus, quam Hispanus, ac
proinde videretur anteire ob antiqui-
tatem Laureæ, non autem ob nationis
prærogativam: verum duo illi Hispani,
qui a secretis erant, acriter huic con-
silio sese opponebant, ac, si de maximi
momenti re ageretur, arrogantius re-
spondebant, quod Hispaniæ Rex, si id
fieret, hanc injuriam subditis suis illa-
tam armis, necnon subtracta Sedi Apo-
stolicæ obedientia ulturus, sacramque
Sedem in Hispaniam translaturus esset.

Ea contentio die nono Februarii
mane fervebat, ubi tamen ambo hi,
qui a secretis erant, cedere coacti, pe-
tebant, ut publicis tabulis declarare-
tur, quod saltem, si quisquam ex Gal-
lis ante Hispanos suam sententiam pro-
ferret,

Sæcul. XVI.
A.C. 1563. ferret, id nequaquam ob ullam Nationis prærogativam concederetur: ut igitur omnibus satisfaceret, Hispanis petitum ejusmodi testimonium tradebatur, simulque Parisiensis Facultatis Decano differendi locus post Salmeronem primum Pontificis Theologum datur, ac denique sancitum, ut omnes reliqui Pontificii Theologi post hunc Decanum perorarent.

§. LIV.

*Quæstio de Sacramento Matrimonii
in Patrum cœtu discussa.*

Pallav. c. 2.
num. 1.
Sarp. l. 7.
pag. 645.
Pfal. p. 370. Ergo hac eadem die nona Februarii prima habetur Theologorum congregatio, in qua de Sacramento Matrimonii ageretur: porro Salmeron, qui unicus matutino tempore verba faciebat, Matrimonium esse Sacramentum demonstrabat, nequidem exclusis Matrimoniis clandestinis, eoquod ad Sacramenti rationem Parentum consensus haud necessarius esset: postea tamen addidit, quod possit ab Ecclesia hujusmodi consensus reddi necessarius, cum penes illam esset, quemadmodum antea fecerat, constituere nova impedimenta, Matrimonium dirimentia, quibus comprobatis, quæstionem induxit, an hujusmodi constitutio in rem fuisset, de